

DIMISION DE LOS RELIGIOSOS DE VOTOS PERPETUOS

Decreto "Processus iudicialis" de la S. Congregación de Religiosos e Institutos seculares sobre la dimisión de religiosos de votos perpetuos en religión clerical exenta, 2 de marzo de 1974 (AAS 66, a. 1974, pp. 215-216).

Processus iudicialis, ad normam canonum 654-668 Codicis iuris canonici instituendus in dimissione religiosorum, qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncupant in religione exempta, non paucis scaturit difficultatibus ac saepe pluribus et damnosis dilationibus locum dare experientia satis compertum est.

Frequenter ergo Moderatores Supremi harum Religionum, dispensationem, iam nonnullis Religionibus concessam, petierunt, experimenti causa, ad normam Motu Proprio "Ecclesiae Sanctae", II, 6 ab obligatione processum huiusmodi in casibus dimissionum conficiendi disciplinam administrativam tantum servando pro disissione religiosorum statutam (can. 649-653) qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali, quae aliunde disciplina iustitiae exigentiis, aequitatis canonicae ac respectui personae debito satis consulit.

Omnibus mature perpensis, Patres huius Sacrae Congregationis, in Coetu plenario dierum 23-25 mensis Octobris a. 1973, quae sequuntur unanimiter statuerunt:

Ordines religiosi et Congregationes clericales exemptae, de quibus in can. 654, in dimittendis religiosis a votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, sequantur procedenti rationem in canonibus 649-653 pro disissione religiosorum virorum a votis perpetuis in Congregationibus clericalibus non exemptis statutam.

Infrascriptus Cardinalis Praefectus, Patrum deliberationem, in Audientia diei 16 Novembris 1973 detulit Summo Pontifici Paulo VI, qui sententiam Coetus plenarii ratam habet, confirmat et promulgari iubet.

Quapropter Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, praesentis Decreti tenore, praedictam resolutionem publici iuris facit.

Haec autem quae decreta sunt statim vigere incipiunt, neque formula indigent quam exsecutoriam appellant.

Praesentibus valituris donec iuris canonici Codex recognitus vim obtineat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 2 Martii 1974.

ARTURUS Card. TABERA, *Praefectus*

Augustinus Mayer O.S.B., *a Secretis*